



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. Quo tempore fieri debet restitutio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Quod si is, cui restitutio facienda est, mortuus sit, fieri debet hæredibus ejus; quia hi succedunt in omnia jura defuncti. l. 62. ff. de Reg. Jur. & l. 37. ff. de Acquir. vel omit. hæred. ibi: *Hæres in omne Jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit.* Si autem post diligentem inquisitionem hæredes cognoscere nequeant, debet restitutio fieri pauperibus, juxta dicta de bonis, ac debitis incertis.

Q. 2. Quo tempore fieri debet restitutio?

Resp. Statim, quantum moraliter fieri potest. *Est communis.* nam præceptum restitutionis est primario negativum, prohibet enim detentionem rei alienæ, vel alteri debitæ invito rationabiliter Domino, & sic obligat semper, & pro semper. Solutio vero debitorum ex contractu fieri debet tempore, de quo inter contrahentes expressè, vel tacitè conventum fuit: eo transacto, si debitor sine justa causa non solvat, iniuriam creditori infert, & tenetur compensare totum damnum hinc obveniens, etiamsi creditor solutionem non exigat, ex l. 12. *Cod. de contrah. stipul.* nam creditor habet Jus accipiendi tunc solutionem: & ipsum tempus præfinitum pro creditore interpellat, c. ult. *de Locat.* si tamen debitor paratus sit tempore constitutoolvere, sed creditor vel absens sit nullo procuratore relicto, vel præsens recipere nolit, tunc debitor non tenetur de damno postea eveniente, nec de pœna statuta.

Tom. II.

M

Quod

Quòd si nullum tempus solutioni debitorum ex contractu expressè, aut tacitè præfinitum sit; tunc debitor non ante censetur esse in mora culpabili, nec tenetur de damno, quàm creditor debitum congruo tempore exegerit. Ita communiter per sensum contrarium, ex l. cit. quia tunc creditor sciens, & valens petere, censetur dilationem concedere non petendo, modo non omitat petere ex metu, vel oblivione.

Porro licet debitori anticipatè solvere debita, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo, & commodato: quia quisque potest jure suo cedere; & quia tunc terminus non est appositus, ne solutio anticipatè fiat, sed ne ultra differatur. Secus, si terminus fuit appositus in favorem creditoris: nam fieret injuria creditori habenti Jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus, ex l. 15. ff. de annuis legat.

Q. 3. In quo loco, & cujus impensis fieri debet restitutio?

Resp. 1. Si debitum ortum sit ex injuria, nempe ex injusta acceptione, detentione, vel damnificatione culpabili, restitutio fieri debet impensis debitoris, & in eo loco, ubi Dominus rem suam possessurus erat, si ablata, vel destructa non fuisset. Ita commun. quia restitutio ob injuriam ita fieri debet, ut Dominus in eum statum restituatur, in quo fuisset, si
nulla